

ob politicas Status rationes fieret, ut pecunia v. g. a Catholicis extorqueretur, debitus Deo honor ex confessionis silentio non subtrahatur. 2. Si silentium, attentis circumstantiis, non appareat omnibus implicita Orthodoxæ fidei confessio.

(63. *Secundo* peccat etiam, qui interrogatus a privata persona, Fidem palam non fateatur in iis circumstantiis, in quibus confessionis omissione Deus injuria afficeretur, et proximus pateretur scandalum, hæc enim duo semper vitare tenemur; Ut si interrogatus prospiceret ex suo silentio fluctuatos in Fide Catholicos audientes, vel Infideles Christianos derisuros, quod Fidem Christianam palam confiteri erubesceret.

(64. *Tertio*. Quamquam persecutio in odium Fidei adversus Orthodoxos excitata, in Deum injuriosa est, et interrogationem, quæ ad Fidem confitendam cogit, involvit; tamen, ut optime Auctor demonstravit; qui eam fuga declinare studeat, non modo non negat, sed ipso facto Fidem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, sed quandoque etiam necessaria est; Quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. Nam qui hujus periculi conscius Tyranni sævitiam non devitaret, Deum tentaret, qui sicuti non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. 2. Quando persona necessaria, ac maxime utilis sit communi Ecclesiæ bono, ut Augustinus tract. 46. in *Joann.* exemplo demonstrat Apostoli Pauli, qui ob Ecclesiæ utilitatem se furori Præpositi Damaschi subducit. 3. Declinandum martyrium est, dum prævideatur nemini profuturum, sed Tyrannum magis irritandum fore, et crudelius in Christianos sæviturum. 4. Licite etiam Episcopi, Parochi et Missionarii fugiunt, ac quandoque sævientem Tyrannum declinare debeant, si in ipsos solos sæviat, nec alii Ministri adsint, qui relictis ibi Christianis spiritualia subsidia suppeditare possint. « Manifestum est, inquit S. Thom. lect. 3. in c. x. *Joan.*, quod si quærat sola persona Prælati, possunt alii loco ipsius ad Gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, et gubernent gregem: unde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves, et hoc modo, et casu fugere licet. » Immo expedit aliquando hæc fuga, si ea impediri possit ne Tyrannus in alios quoque Christianos sæviat, vel si redire posse sperent majori cum fructu; Sed Pastoribus Sacrisque Ministris fugere non licet, si oves eorum indigent spirituali subsidio, si periculum sit ne dispergantur, et Fidem amittant, ac si eorum fuga scandalum paterentur fideles, atque infideles contemnendi Religionem occasionem sumerent. Tunc enim non solum charitatis, verum etiam justitiæ debito, tenentur rudes instruere, dejectos roborare, et erigere, nutantes confirmare, omnesque ad dimicandum totis viribus, pro Dei gloria et honore adhortari. Hinc proposito dubio, « An ad evitandum periculum liceat Missionariis a Missione discedere absque licentia Sacræ Congregationis? » Anno

1646. Sac. Congr. de Propaganda Fide respondit: *Tempore persecutionis esse magis necessariam Pastorum præsentiam, ne Fideles pervertantur.*

(65. *Quarto*, dum Infideles, vel Hæretici Sacras Imagines conterant, et Crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam Fidem profiteri; debent enim, quoad fieri possit, injuriam Deo, et Sacris Imaginibus irrogatam propulsare, ac per publicam Confessionem palam facere orthodoxam Fidem, sacrasque Imagines honore dignas esse. Secluso vero periculo contemptus, licet Missionariis sacras Imagines donare Infidelibus, qui iis deberentur, tum amicitiae pacisque fovendæ gratia, tum ad eos alliciendos ad amplectendam Fidem; Ex Decret. Supr. Inq. 1674. Nefas vero est ex eodem Decreto iis Sacros libros ac vasa sacra tradere, qui in Religionis contemptum uti possint.

(66. *Quinto*, dum Infideli, vel Hæretico Magistratu imperante, Christianorum Ecclesiis, ædibus, aliisque locis libelli assignantur, orthodoxæ Religionis detrahentes, eademque contumeliis et calumniis deturpantes, orthodoxi præcepto illo, quo illatam Deo injuriam vindicare, ac sublato ei honorem restituere tenentur, in ea necessitate constituuntur, ut schedas auferre, libellis respondere, ac ad Judices delati palam orthodoxam Fidem profiteri debeant. At scripturis, quæ non publica auctoritate, sed privata fiunt, quæque Evangelicos Ministros injuriis calumniisque afficiunt, et orthodoxæ Fidei adversantur, Ministri Sacri contraria opponere non prohibentur, dum tamen inde imminere non videant gravioris persecutionis periculum. Satius tamen erit injurias, calumnias et blasphemias patienti animo ferre, ac negative se habere: Sup. Inquisit. Decret. 1674.

(67. Quæri hic etiam potest, « num de Fide cum Hæreticis et Infidelibus disputare liceat? quibus et quomodo id liceat? » Quod ut rite expendatur, notare oportet, disputari de Fide idem esse ac ad examen revocare Religionis Dogmata, atque argumentis demonstrare a Deo esse revelata. Id autem duplici fieri potest modo, privatim scilicet, et publice. Privata disputatio est, quæ in privato loco inter privatos fit, ita ut nulli, aut pauci auditores adsint; quomodo passim in Hæreticorum præsertim Regionibus Hæreticos inter atque Orthodoxos de Fide certari solet. Publica vero disputatio dicitur, quæ fit publico in loco, spectante populo, ac quandoque etiam arbitris constitutis. Privata disputatio cuique viro docto ab Hæretico provocato licita est, ac etiam expediens; primo, si prudenter judicet, Hæreticum desiderio cognoscendæ veritatis, vitandique erroris ad disputationem provocare; secundo, si prudenter speret disputatione illa privata ad orthodoxam Fidem provocantem hæreticum conversum iri: tertio, si silere non possit, quin audientes in Fide vacillent, Hæretici magis in errore confirmentur, ac Orthodoxa Fides contemptui exponatur; Nam quisque tene-

tur proximi salutem, dum potest, consulere, contemnentes Fidem Orthodoxam ita comescere, ut inde Hæretici majoris contemptus, et derisionis occasionem non arripiant, et ne Deo injuria fiat, impedire, illatamque vindicare. Sed, remotis hujusmodi circumstantiis, « disputatio de rebus Fidei Laicis est prohibita. Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere, excusando se bonis verbis, et prætextibus; » ex Decreto Sac. Cong. de Prop. Fide, 26 Februarii 1630. Sed licet periti sint Sacerdotes, sive Missionarii, cavere omnino debent ne Hæreticos ad disputandum provocent: in causa enim essent, ut Hæretici Orthodoxa dogmata refellendo, Hæreseos actus exercerent, ac Catholicam Fidem contemnerent: quæ duæ res grave per se peccatum ferunt: et colloquiis privatis disputationes de Fide miscendo, eosdem Hæreticos sine fructu ullo moveant ad Orthodoxæ Fidei contemptum, et ad Catholicorum, non sine Religionis detrimento persecutionem. « Hæretici enim, inquit Augustinus, lib. 15. contra *Faustum*, cap. 12, non disputationem amant, sed quomodo superare impudentissima pertinacia, ut congregent, quæ non pepererunt. » Et Sanctus Bernardus, serm. 66, in *Cantis*: « Nec rationibus vincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritate corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. »

(68. A publicis autem disputationibus cum Hæreticis, Missionarii abstinere omnino debent. Sac. enim Cong. de Prop. Fide, 8 Martii 1623 « Jussit publicas disputationes non fieri cum Hæreticis, quia plerumque vel ob loquacitatem, vel audaciam, aut circumstantias Populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur, et si aliquando hujusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat Sacra Congregatio, quæ juxta temporis, et personarum qualitatem, quid agendum sit præscribet. » Quamobrem, cum Missionarii nonnulli, an. 1635, publicas de Religione disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent, « Sanctissimus mandavit, significari Generalibus Regularium Peræ commorantium, ut illis interdicerent, ne hujusmodi congressus, aut disputationes publicas in posterum facere præsumerent sub penis arbitrio Sac. Congregationis Sup. Inq. » Et Sacra Congregatio de Propaganda Fide, die 18 Januarii 1654, cuidam Missionario in Armenia mandavit, « ut a disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Eruam circa Articulum duarum naturarum in Christo se abstineret. »

(69. Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Romani Pont. licentia conventum indicere Ecclesiasticum, in quo cum Hæreticis de Religione disputent. Hinc eadem Congregatio, die 27 Maii 1644, reprehendendum censuit P. D. Joannem Judischi Missionarium, « Quod susceperit onus convocandi dictum conventum, sine Sedis Apostolicæ speciali mandato. »

(70. Porro si Romanus Pontifex hujusmodi

conventum permittat, quinque sunt necessariæ conditiones, ut rite fiat. I. Ut Hæretici, non ut Judices, et cum jure suffragii conveniant; sed ut instruantur, convincantur erroris, et corrigantur. II. Ut non definiantur Fidei dogmata, sed definita a Conciliis, vel Apostolica Sede, a Deo revelata esse demonstrentur. III. Ne fiant coram plebe, sed coram doctis. IV. Ne sedeant tamquam Judices Laici, etiamsi sint Principes. V. Non debent Catholici Prælati a Laico Principe cogi ad conventum, sed tantum invitari, et peti debet a Summo Pontifice licentia, ut possint ea de causa a propriis Ecclesiis abesse; Hæreticos autem, et Schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati a Prælatibus Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi et convinci possint.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(71. Huc pertinet decretum S. Congr. de Propaganda Fide, quo reprobantur nonnullæ praxes Christianorum occultorum Mahumetanam sectam simulantium: est autem hujusmodi, « Decretum Sac. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ, die 31 Januarii 1774. Cum ad aures Sac. Congregationis pervenerit, in quibusdam Albanæ Diocesibus, aliisque finitimis provinciis Christianos nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo Synodi Albanensis decreto, ac repetitis san. mem. Benedicti XIV Constitutionibus, videlicet *Inter Omnigenas*, die 2 Februarii 1744, et *Quod Provinciale*, die 1 Augusti 1754, Christum erubescens, ejusque præcepta, Infidelitatem simulare audent, actusque peragere a veræ Fidei sinceritate prorsus alienos: sollicitudinis suæ partes esse duxit, facto verbo cum SSmo Domino Nostro Clemente XIV, die 6 Februarii 1774, declarare sequentes præfatorum Christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

« In primis itaque a simulatæ Infidelitatis nota excusari non posse declarat subdolum agendi rationem illorum, qui, dum diebus solemnioribus Missæ Sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate Turcarum præsentiam formidantes, numquam omnino caput operiunt, nec signant se Crucis signo abstinereque a cæteris Catholicæ religionis actibus, qui ab aliis, qui Christiano censentur nomine, palam solent exerceri; atque ita agentes id obtinent, ut Mahumeticæ superstitionis Sectatores reputentur, nec alia quam curiositatis, aut levitatis causa ad Ecclesiam, vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

« Quoniam vero non desunt, qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes, se simili prorsus modo gerere, cum, nemine Turcarum adstante aliis diebus Missæ, ceterisque functionibus præsentibus sunt: ideo eademmet Sacra Congregatio pariter declarat, hujusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiam, ac Fidei languorem in his quæ sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, jam tunc ab

eis præconceptam mentem esse falsæ Religionis simulandæ, cum tempus et occasio tulerit.

« Præterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum, diebus Ecclesiastico Jejunio, aut abstinentiæ consecratis, Turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim hæc non alio animo facta præsumi potest, quam ut Christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane Mahumetani inter Mahumetanos existimentur.

« Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum jactant pælam profitendi Catholicam Religionem, quoties a publica potestate interrogentur; id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est, ut in privatis actibus ab illis simulationibus absteineant, per quas fieri nequit, quin veræ Fidei exortes, et falsæ sectæ addicti exterius appareant.

« Multo minori dubitatione damnanda Sacræ Congregationi visa est illorum agendi ratio, qui, Turcarum verentes offensionem, profana eorum Tempia ingrediantur, precesque apud Mahumetanos in more positas peragere fingunt, factum enim ipsum nimis apertam præsefert Mahumeticæ Religionis simulationem, licet ab aliis damnatæ Sectæ observationibus, et cæremoniis absteineant.

« Idipsum dicendum de praxi illorum censet, qui ad funera deducenda Mahumetanum Ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur. Quare, si ex Defunctorum voluntate quomodocumque explicata, nec ante obitum retractata id fieri constiterit; Sacra Congregatio eosdem Defunctos Ecclesiasticæ sepulturæ, et Suffragiorum beneficio incapaces esse decernit: si vero ex solo damnabili superstitio arbitrio supradictus Mahumetanus Minister assistentiam funeri præstabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari; bene vero superstites ipsos gravissimæ impietatis reos, et canonicis pœnis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cetera omnia superius expensa in enuntiatibus circumstantiis (et fortasse aliæ etiam praxes, quæ ad notitiam Sacræ Congregationis nondum advenere), Mahumeticæ sectæ simula-

FIDEI PROFESSIO.

SUMMARIUM.

1. Jure Ecclesiastico obligantur ad emittendam Fidei professionem omnes baptizandi. — 2. Hæretici ad Ecclesiam Catholicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publicæ suam Hæresim abjurare, et Fidei Catholicæ professionem emittere. — 3. Fidei professionem emittere tenentur Magistri, Regentes Universitatem, et docentes scientias etiam Grammaticam, et alii cujuscumque artis et facultatis professores, sive Laici, sive Clerici etiam Regulares illi fuerint, et qui ad aliquem gradum promovendi voluerint. — 4. Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores, Judices, Medici, Chirurghi, Confessarii omnes, et Concionatores saltem semel; respectu Prædicatorum tamen Sacra Congregatio Con-

tionem, Christianæque Fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino injuriam, et proximo scandalum parit:

« Ceterum Eminentissimi Patres Archiepiscopos, Episcopos, et Superiores Missionum Albanicæ, Servicæ, aliarumque Provinciarum, quæ Turcarum Imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo Fidei succensi a gregibus pastoralis suæ curæ commissis supradictos damnatos abusus avertere satagant; pari zelo et charitate unumquemque illorum, qui præmissa factitare non verentur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque Religionem simulare, quin spem æternæ retributionis abjiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituent, qui cum compelleretur simulare de sacrificiis carnibus lege vetitis manducasse, ut vitæ periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuntians: *Et si in præsentis tempore supplicii hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec virus, nec defunctus effugiam.*

« Quod si forte, hac solerti Pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac cœlestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum viam insistere pergant, detestabiles simulationes in Fidei negotio adhibentes, iidem Archiepiscopi, Episcopi et Missionum Superiores, ut supra illos Sacramentorum participatione in vita, et, si impenitentes decesserint, Ecclesiastica Sepultura, et Suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

« Datum Romæ ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis die 19 Februarii 1774.

« I. M. card. CASTELLI Præfectus.

« Loco & Sigilli

« Stefanus Borgia Secretarius. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(72. Nomina Turcica, seu Mahumetana non licet Christifidelibus assumere, sibi que imponere, ad evitandas pœnas, vel quancumque utilitatem captandam; Benedicti XIV Constitut. incip. *Quod Provinciale*, § 1. Eisdem utentes Sacramentorum incapaces, ac suffragiorum post mortem indigni declarantur; Idem *ib.* § 4.

cilli in una Bagnaten. declaravit neque Regulares prædicare volentes emittere teneri professionem Fidei, nisi ab Episcopo exigatur. — 5. Item Fidei professionem emittere tenentur Bibliopole et Typographi. — 6. Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratus, aliosve recensitos in Constit. Pii IV. incip. *In Sacrosancta*, si non emittant Fidei professionem, imponitur pœna nullitatis actorum, et alia imponuntur contra Rectores, et Superiores quoscumque Universitatum et Gymnasiorum. — 7. Episcopus non exigens, nec recipiens a Doctoribus et Scholaribus Fidei professionem, incurrit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ. — 8. Inferiores vero non recipientes ut supra, Excommunicationis latæ sententiæ, privationis Dignitatum, Beneficior. Offic. et Feodo-

rum incurrunt pœnam. — 9. Fidei professio est faciendâ a Græcis, et sub propria sua formula. — 10. Fidei professio facta ab Imperatore Græcorum Ludovico eadem fuit cum illa, quam faciunt Latini. — 11. Fidei professio, simul ac specialis promissio de eadem usque in finem sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda debet emitti ab omnibus illis, qui ad Sacros Ordines sunt promovendi. — 12. Item Fidei professionem facere tenentur promoti ad Episcopatum. — 13. Omnes Episcopi in principio Concilii provincialis debent Fidei professionem emittere, et jurare observantiam Sac. Concilii Tridentini. — 14. Item Beneficiati omnes, et ii, qui in Synodo Diœcesana convenire debent, Fidei professionem tenentur emittere in prima Synodo, cui adfuerint. — 15. Canonici et Dignitates Ecclesiæ Cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses Fidei professionem facere, non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, sed etiam coram Capitulo. — 16. Hanc Fidei professionem Canonici et Dignitates Cathedralis tenentur facere per seipsos

(1. Jure Ecclesiastico obligantur ad emittendam Fidei professionem omnes baptizandi; arg. cap. *Prima igitur* 73, dist. 4, de *Consecr.* Si autem aliqui baptizandi per se ipsos professionem Fidei emittere nequeant, ex quo credere et loqui non valeant, ut parvuli, amentes, vel muti, tunc debet talis Fidei professio fieri per alium, nempe Patrum, textu expresso in cap. *Parvuli alio proficiente* 74, dist. 4, de *Consecr.* ibi: « Parvuli alio proficiente baptizantur, quia adhuc loqui, vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti et surdi, quorum vice alius proficitur, ut pro eis respondeat, dum baptizantur. » (2. Hæretici ad Ecclesiam Catholicam et Apostolicam redeuntes tenentur prius arbitrio Episcopi publicæ suam hæresim abjurare; c. *Ad abolendam* 9, de *Hæreticis*, et hoc rectissime fit emittendo Fidei Catholicæ professionem juxta formam de facto in Ecclesia usitatam, a Pio IV, ab omnibus uniformiter observandam præscriptam in sua Const. incip. *Injunctum nobis*. Immo antiquitus hæretici redeuntes ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ tenebantur Fidei professionem etiam per scripturam atque oblatum libellum exhibere; cap. *Si quis voluerit* 3. c. *Maximum* 19, et cap. *Donatum* 20, caus. 1, quæst. 7. (3. Fidei professionem emittere tenentur Doctores, Magistri, Regentes Universitatum, vel Gymnasiorum docentes quascumque scientias, etiam Grammaticam, et alii cujuscumque artis ac facultatis professores, sive Clerici, aut laici illi sint, vel cujuscumque Ordinis Regulares, qui docere, vel ad aliquem gradum promovendi voluerint; Pius IV, Constitut. incip. *In Sacrosancta*, ad cujus calcem tradit etiam propriam formulam. Et Sa-

(4) In Concilio Provinciali Romano 1725, tit. 1, cap. 1, inter illos, qui professionem fidei emittere debent, n. VIII et IX, recensentur « Docentes publice, vel privatim Theologiam, Philosophiam, Jus canonicum aut Civile, vel inferiores quilibet disciplinas, etiam Grammaticam; ac tandem Medicinam, et Chirurgiam exercentes. » (EDIT. BARBIELL.)

(2) Non de omnibus Advocatis et Procuratoribus agitur in eo Concilio, sed de illis tantum, qui causas sanctæ Inquisitionis suscipere, aut agere velint. Sic enim habet Constit. Part. 1. *Quæ ad fidei tuendam*

personaliter, et non sufficit per procuratorem. — 17. Coadjutores Canonorum, seu Dignitatum Cathedralium de rigore Juris communis, seu Concilii Tridentini non tenentur emittere professionem Fidei. — 18. Nec talem professionem Fidei tenentur facere Portionarii, Vicarii temporales, et alii provisi de Cappellaniis in Ecclesia Cathedrali. — 19. Nec ad ipsam Fidei professionem emittendam tenentur jure Tridentini, et cit. Constitutionis Pii V. Canonici et Dignitates Ecclesiarum Collegiarum, et possidentes Beneficia inferiora non curata. Vide tamen verb. *Canonicus*, ubi late de spectantibus ad hanc Fidei professionem. — 20. Prælati Regulares, qui præficiuntur Monasteriis, Conventibus, Domibus, et aliis quibuscumque locis Regularium, an teneantur ad Fidei professionem? ad num. 21. — 22. Regulares Concionatores non tenentur ad emittendam Fidei professionem, nisi ab Episcopis exigatur. — 23. Additur ad rem notabilis Resolutio Sacræ Congregationis Concilii. — 24. Nonnulla ex Benedicto XIV.

era Congregatio Concilii declaravit comprehendendi in dicta Bulla Pii IV, etiam docentes principia Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ et aliarum artium, licet publicam scholam non faciant, sed in propriis domibus doceant. Sic refert Hieronymus a Sorbo in compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Professio Fidei* notabil. 4 (1).

(4. Fidei professionem emittere debent Advocati, Procuratores (2), Judices, Medici, Chirurghi, Confessarii omnes, et Concionatores saltem semel: Concil. Provincial. Mediolan. V, tit. de Professione Fidei; et sic statutum reperitur fere in omnibus Synodis Diœcesanis, et signanter in Synodo Alexandrina de an. 1733, tit. 1, de Fidei professione; respectu Concinatorum tamen S. Cong. Conc. in una Brugnat. declaravit, neque Regulares prædicare volentes emittere teneri professionem Fidei, nisi ab Episcopo exigatur, ut refert Nicolius *Lucubrat. canon.* l. 1, tit. 1, num. 6, verb. *Concinatorum*. (5. Item Fidei professionem emittere tenentur Bibliopole et Typographi, Concil. Provincial. Mediolanens. VI, verb. *Librorum editio* num. 21. (6. Contra Lectores, Magistros, Rectores, vel Cancellarios Gymnasiorum, promovendos ad Doctoratum, aliosve recensitos in d. Constitut. Pii IV, incip. *In Sacrosancta*, si non emittant Fidei professionem, imponitur pœna nullitatis actorum, et alia imponuntur contra Rectores et Superiores quoscumque Universitatum et Gymnasiorum; Pius IV, *ibid.* (7. Episcopus non exigens, nec recipiens a Doctoribus, et Scholaribus Fidei professionem, incurrit pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ; Pius IV, in d. Constit. incip. *In Sacrosancta*. (8. Inferiores vero non re-

stitutum pertinent. Collectio Concil. Edit. Ven. anno 1733, tom. 21, col. 359. « Advocati præterea, et Procuratores in causis sanctæ Inquisitionis suscipiendis agendisve, nullum ante aditum locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint. » De Judicibus autem in ejus Concilii Decreto nulla est mentio. In Concilio Romano loc. cit. n. 5, præscribitur, ut fidei professionem emittant: « Novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei: Procuratores, et Promotores fisci Episcopalis, Cancellarii, ceterique Ministri ejusdem Curie. » (EDIT. BARBIELL.)